


05

A

577



IN NOMINE JESU SACERDOTIS!

DECANUS

THEOLOGICÆ FACULTATIS,

IN

ILLUSTRI WITTENBERGENSIUM
ACADEMIA,

JOHANNES *Deutschmann*

DOCT. ET PROFESSOR PRIMAR.

COLLEGII THEOLOG. SENIOR,

OMNIBUS, ET SINGULIS,

LECTURIS,

SACERDOTE MÆTERNUM,

CHRISTUM JESUM,

CUM OMNIBUS

SACERDOTALIBUS BENEFICIIS,

ET PRIVILEGIIS,

EX COELESTIS PATRIS

ORE, DICTOQUE DIVINO,

JUXTA PSALMUM CX.

AD VERAM FIDEM, ET SALUTEM,

ARDENTISSIMIS PRECIBUS

OFFERT!

(1694)

IN NOMINE JESU!



Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedeck. Sunt verba Coelestis Patris, ad Messiam Sacerdotem, Psal. CX. 4. verba Sancti Spiritus ad Davidem, verba Davidis ad Israeliticam, & consequenter ad Catholicam Ecclesiam. Ante revelationem, in abstrusioribus aeternitatis Decretis, hæc coelestis Pater dixit ad Filium Messiam: Tu es Sacerdos in aeternum: neq; talia Decretorum Oracula Patri Coelesti sunt inusitata, sicut idem v. 1. hujus Psalmi non absimiliter indicatur: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: sceptrum fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Sicut hæc Pater Deus ad Messiam Regem Dicendo protulit, quod etiam Ps. II. 6. seq. XLV. 7. fecit; sic etiam hoc loco Messiam Sacerdotem allegatis verbis alloquitur: imò si loca citata paululum accuratius inter sese conferimus, modo coelestis Pater Messiam, quoad unum, modo quoad geminum, modo quoad tergeminum, officium allocutus esse videtur. In Psalmo secundo potissimū ad Unum, videlicet Regium, Officium respicit: Constitui Regem meum super Sion, montem sanctum meum: v. 8. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. &c. Hoc in Ps. CX. geminum Officium, in alloquio Messiano, proponit; Regium v. 1. sacerdotale, v. 4. In Psal. XLV. 7. & 8. tergeminum Officium attendit, sicut Paulus Apostolus Hebr. I. 8. & 9. luculenter exponit: Pater ad Filium dixit, nim. quoad Regium Officium: Thronus tuus, Deus, in seculum seculi; Virga equitatis, virga regni tui: Quoad Officium Sacerdotale; Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: Quoad Officium Pro-
phe-



05 A 577

pheticum : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis, prae participibus tuis, quia Pater dedit Spiritum non ad mensuram, Job. III. 34. Non autem Oraculi nostri verba tantum sunt Patris caelestis ad Messiam, sed etiam Sancti Spiritus ad Davidem, quia non unquam allata prophetia, ex voluntate humana, sed sancti Dei homines locuti sunt $\Phi\epsilon\gamma\mu\delta\upsilon\sigma\iota\ \upsilon\pi\omicron\ \pi\alpha\tau\epsilon\upsilon\alpha\tau\omicron\iota\ \alpha\iota\psi\iota\varsigma$, vel inspirati, ducti, moti à Spiritu Sancto. Talis erat Rex David, qui verbis emphaticis, II. Sam. XXIII. 1. id de semetipso, quali per Sanctissimum Testamentum, confitetur, & profitetur: *Hæc sunt verba Novissima: Dixit David, Filius Isai: Dixit vir $\text{—} \text{—} \text{—}$, qui confirmatus est de Christo Dei Jacob: Egregius Psalter Israel: Spiritus Domini locutus est per me, & Sermo ejus per linguam meam.* Denique sunt verba Davidis, tanquam Prophetæ Regis ad omnes suos subditos, & tanquam Regis Prophetæ, vel tanquam Prophetæ Doctoris, ad omnes fideles Israelitas, ad omnes fideles Christianos. Nam David, cum aliis Canticis divinis, mysteriis Doctrina, vitæq; plenissimis, etiam hunc Psalmum Centesimum & Decimum, & in eo versiculum Quartum, ad Ecclesiam vere Catholicam, Veteris, & Novi Testamenti, prudenter direxit, ut omnes Mysteria Muneris Christi Sacerdotalis, ex hoc Oraculo, suis auribus audirent, sua fide penitus ambirent, suis cordibus custodirent, meditationibus piis illis inservirent, suis cogitationibus, inclinationibus, propensionibus indefinenter adirent, suis eloquiis, præconiis, encomiis, & aliis mediis, & modis, omnibus religiose deservirent, ac inde fructum omnis salutis, ac futuræ felicitatis persentirent. Nam Gloriosum Christi Sacerdotium est A & Ω, principium & finis, nostræ salutis. Christi Sacerdotium est omnis Salutiferæ Doctrinae Fundamentum! Sacerdotium, hoc est omnis fidei Christiana, vel salutaris Objectum, & Argumentum! Hoc Sacerdotium est Christianismi totius munimentum, & vitæ Christiana pulcherrimum Ornamentum.

tum ! Uno verbo, *Christi Sacerdotium τὸ πᾶν* est. Hæc, & alia, de *Messia Sacerdotio Psalmodicus propheta* persequitur. O quam magna, ô quam multa, de tanto *Mysterio*, juxta præfens Oraculum, dici possent ! Cernimus hic (1) *Sacerdotii Regalis Naturam* ; Tu es Sacerdos (2) *Sacerdotii Regalis Eminentiam*, in æternum. (3) *Sacerdotii Regalis Differentiam*, Secundum Ordinem Melchisedeck. Videmus hic (1) *Sacerdotii Regalis Essentiam* : Tu es Sacerdos. (2) *Sacerdotii Regalis Excellenciam*, in æternum, quoad proprietatem : & (3) *Sacerdotii Regalis Energiam*, quod secundum ordinem Melchisedeck & Abraham, & Levi, cum omnibus Leviticis Sacerdotibus, benedixerit. Gen. XIV. Heb. VII. Innumera *Mysteria Sacerdotalis Muneris alia*, juxta verborum *Davidis* plenissimas *divitias* notari possent : Sed hæc omnia pluribus hisce diebus persecuturus est *lectionibus*, prout ex antiquis nostri *Collegij Statutis* vocantur, *cursoris* MAXIME REVERENDUS, NOBILISSIMUS, ET AMPLISSIMUS, DN. M. HIERONYMUS DATHE, HAMBURGENSIS SAXO, HACTENUS AMPLISSIMI COLLEGII PHILOSOPHICI, quod in Academia Nostra floret, ADJUNCTUS MERITISSIMUS, NUNC ECCLESIAE KEMBERGENSIS PASTOR, ET PRÆPOSITUS DESIGNATUS, SS. THEOLOGIAE CANDIDATUS DIGNISSIMUS, FAUTOR, ET AMICUS NOSTER, UT ET FRATER IN CHRISTO DILECTISSIMUS, cujus in *Honorem* præfens *Programma Publicum in Domino* scribimus. Hic enim, cum ex *oblata Functione publica*, *Gradu Supremo* non indigna, suum in *Collegio Nostro Theologico* professus esset *Nomen*, & modestè petiisset, ut ad *Academica LICENTIANDORUM Specimina*, juxta morem Veterum, admitteretur, consentientibus suffragiis petitum obtinuit,

tinuit, & inter alia, quæ sunt expedienda, *Collegium Theologorum* Eidem *Locum hunc Davidis Classicum*, ceu *publicarum Lectionum Objectum*, proposuit. Nos igitur uberiores ejus *Commentationem* dimittimus, eamque **CANDIDATO** *Laudato* permittimus, statim autem ad oblatum *Vitæ Curriculum* pergimus, & illud, juxta *Majorum* consuetudinem, adscribimus. *Natus* autem est **CANDIDATUS** *Noster*, per *Dei Gratiam*, d. IV. *Februarij*, *Anno Christi sexagesimo septimo supra Centesimum, & sesquimillesimum*. Et si *Patria Celebrior, & Illustrior*, aliquid *Gloriæ*, juxta *Doctores Encomiastas*, afferre solet, *Noster* certe non parum ex sua, quæ obtinuit, *Patriæ gloriæ* possidet. Vidit enim hujus mundi lucem non in *Oppido* quodam *obsuro*, vel ultra viciniam minime noto, sed in *Celeberrimo Germaniæ totius Emporio*; siquidem de **HAMBURGO**, ceu *Patriæ dulcissima*, sibi gratulatur, quæ suam *celebritatem*, non tantum per *Germanorum Principatus, & Provincias*, sed per *omnes totius Orbis Partes*, longe, lateque pridem disseminavit. Hæc enim *Urbs* maximam, non ex sola *Mercatura*, quæ maxime semper in ea non uno seculo floruit, sed etiam ex *Elegantiori literaturâ*, morumque *politiori cultura*, ad quam *Venerandum Ministerium, & Celeberrimum Gymnasium*, imprimis autem **MAGNIFICUS SENATUS**, & alii *Civitatis Ordines*, plurimum conferunt, *famam*, eamque non unquam desituram, sibi comparavit, ut non absque merito de hac dicatur illud, quod suo tempore *Mantuanus* de *Celebratissima Romanorum Urbe* cecinit:

Hæc tantum reliquas inter caput extulit Urbes,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Nactus autem ibidem non *viliori de plebe*, sed è *precipuis Civium Classibus, Honestissimos Parentes*, eosque *Præclaræ Fæmæ*, **PATREM, VIRUM NOBILISSIMUM, ET AMPLISSIMUM, ET IN ARTE NEGOTI-**

ANDI PERITISSIMUM, DN. ANDREAM
DATHEN, inter *Mercatores Primarios* non postremum,
& in Patria non solum, sed & alibi locorum ex *Mercatura*
satis celebratum, quem adhuc per *divinam Clementiam*,
Superstitem, & *vivum*, cultu filiali veneratur; & MA-
TREM, ORNATISSIMAM, ET PUDICISSI-
MAM MATRONAM, MARGARETAM, Na-
talibus MUSMANNIAM, *omnibus sexus sequioris Vir-*
tutibus condecoratam, quam itidem, per *Cœli Gratiâ*, ad-
huc inter *vivos*, filiali dilectione reverenter prosequitur.
Laudatissimi Parentes hunc suum *Filium*, ex Dei manibus,
ceu peculiare *Cœli depositum*, susceperunt, & statim eum
ad *Regenerationis lavacrum*, & *Sancti Spiritus Ergasterium*,
detulerunt. *Domini depositum* grata mente *Domino* reli-
giose restituendum. Neque Pietas hæc fructu caruit.
Dona siquidem *divini Spiritus* in *Baptismo*, mensura larga
Puero collata, diu latere non potuerunt, sed temporis suc-
cessu manifesta suæ præsentia documenta *Parentibus*
dederunt. Hæc *indicia* *Piis Parentibus* non modo gau-
dium maximum attulerunt, sed etiam majorem *industri-*
am, atque *curam*, tum *informationis*, tum *educationis*, in
iis accenderunt. Cum igitur *Pietas primaria* sit *pueritia*,
vel etiam *vita totius Virtus*, ideo *Pietatis semina*, beneficio
Sancti Spiritus in *Baptismo* collata, primum omnium ex-
colere cæperunt. Nec id sine felici successu fecerunt.
Nomen sanctum attulit *Omen sanctum*. *Hieronymus* sta-
tim visus est *Hierodulus*. A teneris igitur *Hieronymo*
suo *Religiosi Parentes*, & *Ipsimet pietatis semina* diligenter
instillarunt, & ut à *Privatis Præceptoribus* magis, & magis,
excolerentur, studio vigilantibus curarunt. Per hos etiam
privatos Manuductores, non sive cura selectos, & *rudimen-*
ta Catechetica doctrine, & *elementa cultioris eruditionis* Te-
wello contulerunt, & *Ipsi* satis accuratam *Ephoriam* in iis,
ex

ex amore naturali gesserunt. Verum in hisce *Scholis privatis* nullatenus acquiescere voluerunt, sed his etiam *Scholas publicas* adjungendas esse, prudenter judicarunt. Quamprimum igitur id *etas tenella* ferebat, *Hieronymum* suum *publicis Scholis* obtulerunt, ut *ingenium* ejus *copax*, & *varietate lectionum* repleretur, & *varietate commilitonum*, per honestam *æmulationem*, excitaretur, & *varietate Præceptorum*, & *Manuductorum*, feliciter *ædificaretur*. Transit igitur hic *Alumnus Scholæ Patriæ publicæ* omnes *Discipulorum Classes*, summo cum ardore *lectiones* excepit utilissimas, & per *Doctores publicos*, DASSOVIOS, VOIGTIOS, MOESEROS, MESCKMANNOS, BOETGEROS, cum admiratione profecit, quod in honorem *Virorum* istorum, pie jam *defunctorum*, grato pectore recolit: inprimis autem silentio præterire noluit, singularem in docendo *sedulitatem*, ac in erudiendo *dexteritatem*, atq; *fidelitatem*, B. OELKERI, cujus operam in tradendis primis *Latine lingvæ*, sicut & *aliarum rerum fundamentis*, ut & *aliis literaturæ politioris* artificiis, jam tum puer admiratus, & per omnes vitæ dies grata memoria recordatus, nec animi sui gratitudinem erga Virum optime de se meritum, licet jam *Beatum*, unquam depositurus est. Eandem quoque laudem tribuit *Vivis* adhuc *Scholæ Patriæ Moderatoribus*, optime de studiosa juventute merentibus, inprimis DN. SCHULTZIO, *Rectori*, & DN. HENNINGIO, *Conrectori*, à quibus id, quicquid in *Latinis*, *Græcis*, *Historicis*, ut & *Artis Oratoriæ*, *Poeticæq;*, vel etiam in *Morum politicorum* notitia possidet, se accepisse, lubens confitetur. Horum enim fidelissima manuductione tantos in *studijs humanioribus* fuit progressus, ut varia *soluti*, *ligatiq;* *sermonis specimina* cum aliis *Commilitonibus* è *Cathedra publicæ* cum laude satis frequenter recitaverit. Emensis autem his studiorum
spaciis,

spaciis, quibus in *Scholis Classicis* informatur, ædificatur,
& ad majora præparatur Juventus, **JUDICIO DNN. PRÆ-**
CEPTORUM, & Suffragio DNN. PARENTUM,
Anno M DC LXXXIV. Gymnasium Hamburgensium Cele-
berrimum ingressus, & ut *Civis* Eidem adscriptus est. Hæc
Officina nova Currenti, & Contendenti, *nova* prodidit
Stadia, nova proposuit *Studia*. Nec ipse defuit suo vel
ingenio, vel officio, vel obsequio, sed alacritate debita Lectio-
nibus publicis interfuit, suamque *discendi cupiditatem* Ce-
leberrimis **DNN. PROFESSORIBUS** mox aperuit,
iisque constanter adhæsit. Gloriatur adhuc in *Docto-*
rum istorum, *industria, & vigilantia, & sibi de adhibita di-*
ligentia, quæditorum profectuum abundantia, vehementer
gratulatur. Ex mentis gratitudine recordatur, quod
DN. PLACCIUM, Oratoriam, & Ethicam, docentem,
DN. ANCKELMANNUM, Linguas sanctas eruditis-
sime profitentem, **B. DN. SIVERUM, motum Solis, &**
Luna, sicut & *reliquarum Stellarum,* demonstrantem, **B.**
DN. VAGETIUM, Logicam, & Metaphysicam, explicantem,
ad mercaturam bonarum Artium, audire, fructusque plu-
rimos ex ipsorum *utilissimis laboribus* sentire potuerit.
Nec unquam ex gratitudinis memoria dimittit, quantum
debeat **VIRO MAXIME REVERENDO, ET AM-**
PLISSIMO, DN. M. HENRICO ELMENHOR-
STIO, ARCHIDIACONO ad D. Catharina meri-
tissimo, Totius Ministerij CONSENIORI Venerando. Nam
ipsemet fatetur, omnes suos *ad studia conatus* irritos fuis-
se, nisi *privatis Tanti Viri Consiliis, & Subsidiis,* iisque *fer-*
tilissimis, adjuti fuissent. Nam cum *Parentes* laboriosi
variis ex negotiationibus, & œconomicis administratio-
nibus, nimium distraherentur, nec omnem *Filij curam,* ad stu-
dia necessariam, sustinere possent, Hic *Optimus Patronus*
vices Parentum suscepit, & *Parentibus* id desiderantibus,
hanc

hanc ipsis gratiam fecit, ut & *Filium in Domestica fidei Pa-*
tronicium reciperet, & omnem curam providam, vereq;
paternam, ad studiorum continuationem adhiberet, *Ho-*
spes erat, & *Pater, Informator doctrinâ, Manuductor, & Ex-*
emplar vitâ, vel *in omnibus omnia.* Nam & Lectiones
publicas cum eodem privatim repetiit, & tam quoad *hu-*
maniora studia, quam aliorum respectu, tum quoad *Philo-*
sophica, tum quoad *Theologica,* talia subjecit *accramenta,*
quæ **NOSTRO CANDIDATO,** quoad omnem *vitam,*
quoad omnem *Officij futuri fructuosam administrationem,*
profutura dicuntur. *Preco* proinde futurus est *Noster* ho-
rum Beneficiorum perpetuus, dum hunc *Optimum Virum,*
eum *Patrem alterum,* veneratur, & per omnes vitæ dies
venerabitur. *Hujus, & aliorum Patronorum,* consilio, pri-
usquam *Academica studia* salutaret, *Gymnasium* etiam *Lu-*
beckense, quod in celebritate tunc, propter Rectorem illius
temporis Meritissimum, **DN. ABRAHAMUM HIN-**
CKELMANNUM, h. t. **SS. THEOL. DOCTOREM, ET**
ECCLESIAE HAMBURGENSIS AD D. CATHARINÆ
PASTOREM FAMIGERATISSIMUM, adire constituit.
Sicut enim non omnis fert omnia tellus, ita nec unum
Gymnasium fert simul omnia *doctrinae Genera,* nec *eandem*
Doctrinam modis omnibus proponit. Apud illius *Gymna-*
sii Rectorem, jam laudatum, *benevolentiam, & facilitatem*
omnem invenit, ut majorem sibi promittere non potuerit,
Nam & *contubernium, & convictum,* sibi paratissimum
habuit, & in studiis perficiendis omnes sibi profectus ex
tanti *Viri consilij, & auxiliij,* sibi promittere potuit. *Fru-*
ctum etiam uberrimum ex iis consecutus esset, nisi visum
aliter Deo fuisset. Nam præter omnem opinionem *Pre-*
ceptor hic *Exoptatissimus,* ad **SS. Ministerium Hamburgense**
nutu divino vocatus, & sic ad *Ecclesiam è Schola* transgres-
sus est. Turbavit hoc animum **NOSTRI CANDIDA-**

B

TI

TI non parum, sed Ipsum mox Divina clementia plurimū iterum erexit, dum, post hujus PATRONI discessum, in ejus locum alius quasi fato successit. Nam *Vir Maxime Reverendus, & Amplissimus*, DN. M. JACOBUS à MELLEN, *Ecclesiastes apud Lubeccenses Marianus vigilantissimus*, in *Elegantioribus Studiis* maxime versatus, ipsum, & in *ades suas*, & ad *Mensam* recepit, ejusque curam omnem, & in *studiis*, & in *aliis vite rationibus*, suscepit, & talia continuandorum studiorum consilia suggestit, ut felicem in omnibus eventum sibi polliceri potuerit. Et *his privatis consiliis*, atq; *subsidiis*, respondebat publicus *Gymnasticorum laborum* progressus. Nam sub *Nobilissimorum, Praecellentissimorum, & Clarissimorum Virorum*, DN. SWANTENII, DN. LIPENII, DN. BRUGGII, laudatissima *χρηστικότητα*, quotidie Studiorum suorum incrementa quærebat, & inveniebat, non absque singulari mentis delectatione, studiorumque suorum perfectione. Quæ de causa per *biennium integrum* ibi subsistere, tandemq; pro ratione temporis, per *Orationem* solennem, de *Patientia Christi*, non absque PATRONORUM laude, & *Commilitonum applausu*, Vale postremū dicere voluit. His ita recte, quoad *Scholas infimas, & medias*, cum maximo studiorum suorum adjumento peractis, PATRONORUM, PARENTUM, ET PRÆCEPTORUM, prudentissimis consiliis, *Summas*, quas *Academias* vocant, adire decrevit. Neque suo tantum ingenio, vel genio, solus indulgere, vel sua sponte certam *Academiā*, eligere, sed ut in aliis, sic etiam in hoc, à PATRONORUM maturo judicio pendere maluit. Ex horum nutu CELEBERRIMAM GIESSAM elegit, & ad eam, Studiorum perficiendorum causa, sine mora, se recepit. Salutavit eam primum *die XXIX. Aprilis, Anni M DC LXXXVII.* & à MAGNIFICO RECTORE *Jus Academica Civitatis* impetravit. *Novus Civis*, novum apud se studiorum con-

continuandorum impetum deprehendit. Non autem
superficiaria, vel tumultuaria methodo, studiorum cursum
ingredi, vel in eodem progredi, sed potius *ordinatissima*
serie Disciplinas omnes aggredi, secum animo firmiter con-
stituerat, ut ex ordine justo sibi planam non modo, sed &
plenam in objectis Disciplinaribus notitiam polliceri pos-
set. *Theologia* quidem *Studiorum omnium scopus* erat,
sed hanc, sine Ministrantium ope, vel manu ductione,
nullatenus adire volebat. *Philologiam* igitur, & *Philosophi-*
am potius ambire, quam *adyta Theologiae* statim, manibus
velut illotis, introire consultum dicebat. Per gradus ire
satius vulgo dicitur, quam uno, sed infelici saltu fastigium
conscendere. Per gradus ire iuvat, & *fructus* multiplices
parat, *saltus* autem facere *periculosum* plerumque, non raro
prorsus *perniciosum* est. *Ordine pervenies, quo non datur*
ire labore. Primum igitur *Celeberrimos, & Excellentissimos,*
DN. PROFESSORES, quoad *Philologia, & Philosophiae* stu-
dia sectatus, & ad sui majorem culturam audivit B. DN.
CLODIUM, in *Philologia sacra, Hospitem Exoptatissimum,*
DN. MENTZERUM, Magnorum MENTZERORUM *Fili-*
um, atque *Nepotem*, splendorem Nominis propagantem,
in *Deliciis Mathematicis*, quas in *variis Disciplinis* hujus *Ar-*
tis, ex ejus ore *variis Collegiis* percepit, DN. PHASIANUM,
Oratoria, Poeseos, & Historiarum, arcana publice docentem,
DN. MOLLENBECCIUM, *Philosophiam Moralem* traden-
tem, DN. SCHLOESSERUM, *Logices, & Metaphysices*, prae-
cepta proponentem, DN. VALENTINI, *Physiologiam* ex-
ponentem; & in horum *scholis*, tam *privatis*, quam *publicis*,
sedulitate non vulgari studiorum opes curiosè quæsivit, ut
hac diligentia sua *Celeberrimis* istis *Viris* non modo notissi-
mus, sed & commendatissimus fieret. Inde factū, ut *Summos*
Eidem *Honores Philosophicos* offerrent, & per *Braberutam*,
DN. HENRICUM PHASIANUM, *SS. Theol. D. & Prof. Eius*

*Extraord. Historiarum autem, Oratoria, & Poeseos Ordina-
rium, die XXIIIX. Nov. Anno MDC XXCIX, publice confer-
rent, qui maxime solennis erat Academia dies ex eo, quod
eopse die Doctores Omnium Facultatum, exemplo raro, cre-
arentur. Et ut omnibus notum fieret, quantos in Philoso-
phia progressus, per Giessena Conversationis tempus, fecisset,
Publicum Eruditionis Specimen, & Disputatoriū, sub Excellentissimi
DN. HOSPITIS Præsidio, de Terra Immobilitate, & Oratorium, de
Statu tristissimo devastati Palatinatus, magna cum laude Professo-
rum, & cum applausu Commilitonum deposuit. Omnibus autem
istis temporibus Sacra Theologia quoque coluit, & excoluit, & po-
tiores horas, illis ex sacris literis, ac informatione solida DNN.
THEOLOGORUM, penitus imbibendis, attribuit, in primis autē
MAGNIFICI DN. D. HANNEKENII, & B. DN. RUDRAUFII
Scholas frequentavit, & ex iis singularem Mysteriorum Theologico-
rum notitiam sibi comparavit, & eo perfectionis progressus est, ut,
sub Horum Virorum Celeberrimorum Præsidio, Cathedram publi-
cam conscendere, & sub Altero, de Sacramento Baptismi, sub Altero,
de Peccato, cum suis Commilitonibus mascule contendere potu-
erit. Talis cum esset, & in Philosophia, & in Theologia, sibi
facilem apud Amplissimum Philosophorum Ordinem viam depre-
hendit, scholas aperiendi privatas, & Disciplinas Philosophicas suis
Commilitonibus exponendi, Lectorisq; privati partes adimplendi,
cum, alios docendo, solide nos ipsos informare soleamus. Sed,
cum in eo jam esset, ut in his etiam majorem quæreret perfectio-
nem, à Dilectissimis PARENTIBUS, non sine quodam animi mœ-
rore, domum revocatus est. Obsequium tamen studiorum incre-
mentis præferre voluit. Rediit igitur Anno MDC XC. Mense Ja-
nuario salvus, & incolumis, ad Suos, & ab Optimis Parentibus, Co-
gnatisq; reliquis, ut & PATRONIS Faventibus, nō sine gaudio fuit
exceptus. Cum igitur per unum, vel alterum mensem, ex volun-
tate Suorum in Patria commorari necessum haberet, dum, ex suo-
rum conspectu tam cito discedere, non permittebatur, non priva-
tim latere, sed in publicum prodire voluit. Nec enim ibidem
ex Virorum Eruditissimorum Conversatione, thesauros & Philolo-
gica*


gica, & Philosophica, & Theologica Eruditionis parum augere potuit. *Facilem accessum* apud omnes vidit, & *singularem etiam affectum* in omnibus deprehendit. *Veteres Patronos* in pristino *Patrocinio* sua conversatione confirmavit, & *plurimos Novos* eruditus colationibus sibi comparavit. Ex eo factum, ut *Venerandum MINISTERIUM* *Ei potestatem publice concionandi* concederet, & ad *publicam famam* obtinendam, ipsi januam aperiret. Ex occasione data proinde, juxta *PATRONORUM, & PARENTUM, Voluntatem*, in *Æde D. Catharinae* bis ad *Populum Patriæ*, cum applausu, verba fecit, quo tam *PATRONORUM spes, & expectationem*, adimplevit, & *Gaudia Parentum Piiſſimorum* vehementer auxit. Cum autem *Virtus* Ejus omnibus placeret, omnes etiam *suasores* extiterunt, ut ad *uberiorem studiorum Theologicorum culturam Academies* repeteret. Ex instinctu divino, motu proprio, consilioque Superiorum, *WITTEBERGAM* elegit, & fausto quodam omine, nullatenus accessum suum distulit. Eodem igitur Anno venit ad Nos, & sub *B. DN. D. CONSTANTINO ZIEGRA, Physica Professore, MAGNIFICO r. r. RECTORE*, *jura Civitatis* obtinuit. Ut igitur *studiis* suis omnium optime consulere, non absque *Consilio Superiorum*, statim *B. DN. D. MICHAELEM WALTHERUM, Virum de publico Reipubl. Literaria, & Ecclesiastica, Bono, meritissimum*, adire, atque *jus Hospitii*, sicut & *solidioris informationis beneficium*, ab eodem impetrare constituit. Optimum consilium, optimum peperit eventum. Nam & *propensionem omnem* apud *Virum Beatum* offendit, ejusque *solidissimam in Theologicis informationem*, in usum suum perpetuum convertit. *Gratulabatur* sibi de *Tanti Viri*, tum *conversatione quotidiana*, tum *manuductione Theologica*, & vehementer in *hæc fortunis* gloriabatur. Sed proh dolor! *nulla Fata letiora sunt hominibus diuturna!* Sic etiã *Beatissimus* *hujus Viri Transitus* ad superos, nimis immaturus, hanc *letitiã, & gloriã*, *CANDIDATO* Nostro finit! In *Benedictione sit Meritisimi Viri Memorial* *Nostras* quoque, quotquot adhuc per *Dei Gratiã* *superstites* sumus, & *SUMME REVERENDI DN. D. LOESCHERI, & MAGNIFICI DN. D. HANNEKENII*, post exoptatum Ejus ad nos Adventum, & *EXCELLENTISSIMI DN. D. NEUMANNI*, ut & *Meas, Lectiones, & Disputationes*, visitavit, & ex his *Divitias suas Theologicas*

multiplicavit. Tres etiam Publicas, sub Meo Presidio, Disputatio-
nes in B. Lutheri Cathedra, maxima cum laude, defendit. Sæpissi-
me pariter in Ecclesiastica Cathedra coram Populo Mystera Sacra
proposuit, & inde non exiguam Oratoris Sacri famam sibi concili-
avit. Cum igitur anno superiori facultatem, in Theologia docendi,
privatam à Collegio Theologorum modeste desideraret, ob hæc, &
alia, suffragiis omnium hancee dignitatem consecutus est. Sed
in hoc studiorum Theologorum stadio neququam suæ Philosophiæ
fuit immemor, inde statim sub accessu primo PROFESSORUM
EXCELLENTISSIMORUM, & CELEBERRIMORUM Patroci-
niū quæsit, & inter Lectores privatos, habita Disputatione pro more,
locum occupavit, quem etiam ita variis Collegiis privatis exornavit,
ut Ordinem PHILOSOPHORUM Amplissimum in amorem sui
traxerit, & ad Honores ampliores conferendos facile commoverit.
Hinc suffragiis communibus PATRUM D. XIV. Januar. An. M DC
XCII. in Collegium Amplissimum cooptatus, & inter ADJUNCTOS
FACULTATIS ex eo tempore numeratus est. In his, & aliis, Ex-
cellentissimum DN. CHRISTIAN. RÖHRENSEE, Phil. Pract. Prof.
meritissimum, quem post obitum B. WALTH. Patronū, & Hospitem,
adeptus erat, ut Promotorē Optimū veneratur. Varia Collegia Privata,
Novi ADJUNCTI, tum ex Philosophia Theoretica, tū Practica, cū fructu
Studioforum instituta, recensere nolumus, neque multum Disputa-
tiones Publicas, De Geniis Veterum, de Liberarum Imperii Civitatum
Potestate, Majestatis Æmula, commendare possumus, sed ad metam
Curriculi Vitæ presentem potius contendere debemus. Hæc ipsa
contigit exoptata. Nam cum, ex ulteriori Vocatione Pastoris,
Prepositi, & Superintendentis, KEMBERGENSIS, Vocandi Jus ad
PATRES ACADEMIÆ rediisset, & Locus iste Virum Bene Cultum,
& Exercitatum desideraret, ex Publico Scto Noster CANDIDA-
TUS Officio laudato, DEO SIC DISPONENTE, destinatus. Et,
Munus hoc arduum in Domino propediem auspicatorus, secundum
Exemplum suorum Antecessorum, LICENTIAM Honorum in Theo-
logia summorum, à Collegio Nostro modeste petiit, eamque, juxta
desiderium, facilis impetravit. Nos omnem Dei Gratiam, & conti-
nuam Sancti Spiritus adstantiam, in his, & aliis futuris laboribus
sacris, DN. CANDIDATO votis calidissimis apprecamur, & multis
de cau-

de causis hoc tempore latentes, in Domino tum *Aliis*, tum *Nostra*
Facultati, pie gratulamur. Gratulamur, in Nomine DEI NOSTRI,
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DOMI-
NO, DN. FRIDERICO AUGUSTO, SAXONIÆ,
JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, UT ET AN-
GRIÆ, WESTPHALIÆQUE, DUCI, SACRI
ROMANI IMPERII ELECTORI, ET ARCHI-
MARESCHALLO, LANDGRAVIO THURIN-
GIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, NEC NON U-
TRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRAFIO MAG-
DEBURGENSI, COMITI PRINCIPALI HEN-
NEBERGENSIUM, COMITI DE MARCA, RA-
VENSBERG, ET BARBY, DOMINO IN RAVEN-
STEIN, PATRI PATRIÆ AUGUSTO, NUTRI-
TIO ACADEMIÆ NOSTRÆ INDULGENTIS-
SIMO, DOMINO NOSTRO GRATIOSISSIMO,
de Felicissimo REGIMINIS ELECTOR. INGRESSU, EXOPTA-
TISSIMO, quem Crastino Die, sub Auspicatissimis Cælorū Adspecti-
bus, ardentissimis desideriis, & devotissimis precibus, divinitus expe-
ctamus, ADVENTU, de GLORIOSISSIMO IN ELECTORATUS
CIRCULO, SECUNDUM BEATISSIMORUM ELECTORUM
ANTECESSORUM LAUDATISSIMAM CONSVETUDINEM,
HOMAGIO, de *Conjunctissimo*, *Arctissimoq;* SUPREMI CAPI-
TIS, ac *Universorum*, & *Singulorū Subditorū Vinculo*, deq; cunctis a-
liis ELECTORALIBUS, COELITUS COLLATIS, AXIOMATI-
BUS, ac OMNIBUS DIVINÆ BENEDICTIONIS AUGUSTIS
DOTIBUS! Sit COELI, TERRÆQUE DOMINUS, REX REGUM,
ET DOMINUS DOMINANTIUM, OMNISAPIENS PRÆSES
in BENEDICTO HOMAGIO, OMNIPOTENS LAUDATIS-
SIMO PRINCIPI ELECTORI SCUTUM, ET MERCES, &
BENEDICTUS OMNIS ELECTORALIS REGIMINIS AN-
TISTES! Gratulamur *Universitati Nostræ* de TANTO NUTRI-
TIO, DE CONSERVATORE MAXIMO, DE GUBERNATO-
RE

RE OPTIMO, DE STATORE, PATRONOQUE SUMMO! *Redi-*
viv sit, in HOC EXOPTATISSIMO FRIDERICO, OPTIMO, A-
CADEMIAE FUNDATOR, FRIDERICO, TERTIO, GLORIOSIS-
SIMAE RECORDATIONIS, ELECTOR! *Reviviscat* in HOC AU-
GUSTO DESIDERATISSIMO, MAXIMUS, ET MUNIFICEN-
TISSIMUS ACADEMIAE DOTATOR, & ALTER QUASI
FUNDATOR, AUGUSTUS, AETERNA MEMORIA DIGNIS-
SIMUS ELECTOR. Sit GLORIOSISSIMUS NOSTER ELE-
CTOR SIMUL FRIDERICUS AUGUSTUS *Pressae Witteber-*
gensium Academia! Sit FRIDERICUS NOVUS, FUNDATOR
OPTIMUS! Sit AUGUSTUS NOVUS, DOTATOR MAXIMUS,
ET MUNIFICENTISSIMUS! Sit NOSTRA PAX! NOSTRUM
SCUTUM! NOSTRA MERGES! Sit PATER ACADEMIAE!
Sit UNIVERSITATIS STATOR, ET AUCTOR! Sit OMNIA!
Gratulamur in super Collegio Nostro Theologico, de Benedicto Laboru-
sacrorum in Domino proventu! Sub Hoc POTENTISSIMO ELE-
CTORE, FRIDERICO AUGUSTO, *Benedictus est Noster Ordo Sacer-*
Electoralis Regiminis tantu Tres elapsi Menses per Dei Gratiã! *Collegiu*
Nostrum Theologicum, in his tribus Mensibus Benedictis, numerat
QUINQUE LICENTIATOS, & mox, hoc ipso Mense, per *Divi-*
nam Clementiam, numerabit QUATUOR NOVOS DOCTO-
RES! O Benedictionem supra Benedictionem! Sit ELECTOR
BENEDICTUS! Sit REGIMEN ELECTORALE BENEDI-
CTUM! Sit TOTUS ELECTORATUS BENEDICTUS!
Gratulor etiam presenti Meo Decanatu, qui DE TANTIS BENE-
DICTIONIS ELECTORALIS FONTIBUS certos *Benedictionis*
rivulos trahit! Sit NOMEN DOMINI BENEDICTUM! Sit DEO
NOSTRO BENEDICTIO, LAUS, HONOR, ET GLORIA, IN
SECLORUM SECLA! *Gratulor* denique DN. CANDIDA-
TO, quod, sub AUGUSTIS BENEDITIONIS AUSPICIS, Ipse
quoque variae *Benedictionis, & Ecclesiasticae, & Academicae, & Theolo-*
gica, & DOMESTICAE, coelitus fiat Alumnus! Sit DEUS in his
omnibus BENEDICTUS! DN. MAGNIFICUM RECTO-
REM autem, PERILLUSTRES DNN. BARONES, PATRES, CI-
VES, & HOSPITES ACADEMIAE, *Cras Hora IX. ad solennem O-*
rationem reverenter Praesentibus invito! Valet! P. P. DOMIN.
VI. post Trinit. Anno M DC XCIV.





IN NOMINE JESU SACERDOTIS!
DECANUS
THEOLOGICÆ FACULTATIS,
 IN
STRIS WITTENBERGENSIUM
ACADEMIA,
JOHANNES Deutschmann
 T. ET PROFESSOR PRIMAR.
 COLLEGII THEOLOG. SENIOR,
 OMNIBUS, ET SINGULIS,
LECTURIS,
 SACERDOTE M ÆTERNUM,
CHRISTUM JESUM,
 CUM OMNIBUS
 SACERDOTALIBUS BENEFICIIS,
 ET PRIVILEGIIS,
 EX COELESTIS PATRIS
 ORE, DICTOQUE DIVINO,
 JUXTA PSALMUM CX.
 VERAM FIDEM, ET SALUTEM,
 ARDENTISSIMIS PRECIBUS
 OFFERT!

(1694)

